

requiritur materia nobilis, ut conservetur cum eo decore, cum quo convenit, ut idem Pasqualig. advertit q. 773. n. 1.

56 57 Aliqui Theologi affirmant consecrandum esse hoc Vasculum Sacra Uctione sicut Calix, sed communis opinio tenet, sufficere simplicem benedictionem ab habente facultatem Corporalia benedicendi, eo quia Vas istud non inservit Sacrificio Missae, Sarnell. *Epist. Eccl. T. 8. epist. 36. numer. 3.* Pasqualig. *T. 2. quaest. 778*, ubi plura de hoc argumento; quinimo non esse necessarium Pyxidem deaurari ad instar Calicis, affirmat Suarez in *3. part. disput. 17. sect. 7.* qui etiam addit quod si Pyxis de puro Stanno fuerit, deberet imponi frustillum telae cum amylo accommodatum, sicuti fit in Corporalibus. De facto Rituale non praescribit neque aurum, neque argentum, neque auricalchum, sed tantum dicit, quod esse debet ex solida, decentique materia, non autem ex Vitro, seu Crystallo, quemadmodum illa, quae in dioecesi Parmensi inventa cum stemmate antiquissimi Episcopi mihi ex dono tradita fuit a P. Isidoro Grassi Parmen. Ordin. S. Augustini amico meo praestantissimo. Vide plura apud Macri, *Vervo Pyxis*: Sed conveniens materia esse solet Argentum, vel Auricalchum. Ita quoque antiquitus, et ineunte Ecclesia fuisse Pyxides, seu Ciboria, docet Casal. *d. c. 34.*

58 Formam, et figuram illarum assignat Cavallerius *Rett. Eccl. tit. 5. numer. 17.* Sed ad ultimum, artificum libito se conformat, hoc unum subdens, quod in operculo ex eadem materia elaborato adsit Crux eminenter surgens, vel Imago Christi Resurgentis. Ulterius ex Argento fieri laudat Pyxidem et deaurari. Hanc formam ubique locorum servandam statuit S. Carolus *Act. p. 4. l. 2.* et illam in Sacristia cujuscumque Cathedralis omnibus invisendam exposuit. Ubi vero prae inopia Ecclesiae nec Aurum, nec Argentum adhiberi possit pro constanda Pyxide, Episcopi iudicio toleravit, ut operculum, et eadem Pyxides fieri possent ex auricalcho, aut stanno inaurato, sed terso, et perpolito.

59 Velum, quo Pyxis tegi debet, Auro, et Argento contextum voluit idem S. Carolus, cum suis fimbriis circumquaque ex eadem materia dispositis.

60 61 Locus vero ad servandam Pyxidem Tabernaculum appellatur, quod a Conc. Trid. *Sess. 13. de Sacram. Euchar. cap. 6.* nuncupatur *Sacrarium*; debet esse intus decenter ornatum, et capax duarum Pyxidum, quarum una pro universo Parochiae populo sit, altera pro Infirmis; atque haec minor, illa vero major, quo ad capacitatem particularum.

62 63 Clave obserari item debet Tabernaculum, adeo ut bene claudatur, et ista clavis argentea, vel deaurata deseri non debet in Altari, seu alio communi loco, sed penes Parochum vel Capellanum custodiri, Fusc. *de Visit. lib. 1. cap. 5. num. 3.*

Piasec. *in prax. Episc. part. 2. cap. 3. numer. 24.* Tandem Barbosa *dict. cap. 20. numer. 27.* concludit, quod talis Pyxis sub fideli custodia, et in loco decenti, pro communicandis Infirmis servari debet, *cap. Sane 10. de celebrat. Miss.* et tradit Pelagius *de planctu Eccl. lib. 2. cap. 27. vers. 23.*

§. VI. Hoc autem Tabernaculum, conopaeo decenter opertum, atque ab omni alia re vacuum, in Altari majori, vel in alio, quod venerationi, et cultui tanti Sacramenti commodius ac decentius videatur, sit collocatum; ita ut nullum aliis Sacris functionibus, aut Ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur. Lampades coram eo plures, vel saltem una, die noctuque perpetuo colleat. Curabitque Parochus, ut omnia ad ipsius Sacramenti cultum ordinata, integra, mundaque sint, et conserventur.

64 65 Conopaeo debet obtegi Tabernaculum, hoc est Velo ad instar Tentorii, seu *di Padiglione.* In Ecclesiis ritu Romano utentibus, fit e serico, auro, argenteo intexto, vel e tela argentea, aureave, aut saltem e serico simplicis coloris albi. In Ecclesiis autem ritum Ambrosianum servantibus ex eadem materia fit tale Conopaeum, sed rubri coloris, S. Carol. *Act. part. 4. lib. 2. Instruc. supellect.* ex quo patet error fere communis illorum, qui hoc Conopaeum mutant quoad colores cuandocumque Ecclesia utitur diverso colore, nempe imitari student colores Ecclesiae ed iis omnino conformari, juxta solemnitates: qui error fundatur in autoritate Cavallerii, *d. tit. 5. numer. 9.* admittentis istos varios colores in Conopaeis, juxta Ecclesiae tempora, et solemnitates, et innitur doctrinae Gavanti, qui pluribus in locis suorum *Commentariorum* instat pro hac colorum diversitate, et praecipue *Part. 1. tit. 20. part. 5. demensur. Sac. supellect.* Sed magis amplectenda est insinuatio, seu determinatio S. Caroli, quia cum proprius color adhibendus in Eucharistia, et in Eucharisticis functionibus sit color Albus, et Tabernaculum unice inserviat Sacramento huic, decet, ut ejus ornatus sit coloris convenientis: atque hoc eo magis, quia fit ad distinctionem Ritus Ambrosiani, qui rubro colore utitur: Cumque praescriptum sit per Concil. Roman. sub Benedict. XIII. *Tit. 15. cap. 1. de Sacrament. Eucharist.* ut omnes in Sacramentorum administratione servent Ritus rationabiliter inductos, receptos, et approbatos ab Ecclesia, sub poena peccati, sequitur, ut morem Conopaei albi amplecti

debeamus, quia Ecclesiae Romanae est, non vero Ambrosianae.

66 Ab omni alia re vacuum esse debet Tabernaculum, quae non sit ad usum Eucharistiae: quamobrem nec Vasa Olei Sancti, nec Capsulae Reliquiarum, nec alia quaecumque etiam Sacra ibi servari, et claudi debent, *Prov. 4. p. 2.*

67 Altare Tabernaculo destinatum, videtur quod debeat esse majus, cum vere inserviat non solum majori Sacramento, sed ipsi Sacramentorum Auctori: nihilominus cum ibi conservari non possit, nec semper debita veneratione coli ob varias functiones, quae ad Altare majus solent haberi, Textus limitat, et permittit, ut erigi possit in alio Altari: sed hoc etiam debet esse in loco conspicuo, et nobiliori, decenter pro facultatibus loci ornato, *Fusc. d. lib. 1. cap. 5. num. 3.* Usus certe est multarum Ecclesiarum tum Saecularium, tum Regular. quae Altaribus abundant, collocare Tabernaculum cum Sacramento in aliquo Altari a majori distincto, et ratio praecipua est, quia cum Missa conventualis ut plurimum celebretur ad Altare majus, et prope illud soleat esse Chorus, seu Odeum ad psallendum, non ita facile, horis propriis accedere possunt Fideles ad suscipiendum Sacramentum ad illud Altare: Dum enim Cantores psallunt, si extraheretur Sacra Pyxis e tabernaculo, surgere deberent, etque ideo vel esset magni incommodi, vel adesset periculum irreverentiae. Quapropter laudabiliter faciunt qui ad Altare diversum collocant Tabernaculum, et unice dedicant hoc Altare Sanctissimo Sacramento, eo quia ita nullum impedimentum affert Ecclesiasticis Officiis, seu Sacris Functionibus, quae occurrunt.

68 69 De Lampadibus aliquid dicendum modo est, quarum usus antiquissimus a Concilio Aquisgranatensi *cap. 29.* confirmatur, et a Casal. *de cap. 42.* quae quidem sumptuosae esse solebant, et ex auro, vel argento. Earum lumen ante Sanctissimum Sacramentum, tam ad cultum, quam ad ornatum est, et perpetuo ardere debent ante ejus Altare, *Piscara d. lib. 2. sect. 1. cap. 1. n. 12.* tum propter ejus reverentiam, tum etiam, ut ingredientibus Ecclesiam advertant ubi prius adorare debeant, *Barbosa d. p. 2. c. 20. num. 29.* *Possevin. de Off. Curat. c. 12. n. 78.*

70 71 72 Plures Lampades a Rituali assignantur, sed sufficit una, cujus cura alicui ex Clericis, seu etiam inferioribus ministris demandata sit, *Piscara d. lib. 1. sect. 3. cap. 9. num. 1.* Quamvis enim lampadem ardere ante unumquodque Altare, et plures ante Altare majus suadeat auctoritas Caeremonialis Episcoporum, et Gavant. *part. 1. tit. 10.* Nihilominus una tantum ubi adsit Tabernaculum cum Eucharistia, sufficiens est, *Conc. Prov. Med. 1. §. ante, et Act. part. 4.* et quavis Lampadarii cum pluribus lampadibus ante Sacramentum, et coram Tabernaculo laudet; attamen una lampade accensa

satis fit: quam saepe infra diem visitare tenentur Parochi, si non adsit praecipuus minister ad hoc destinatus, et praesertim tempore hyemis, in quo non nisi commendabilis est usus, ut plures lampades colliceant saltem in nocte: una enim extincta, altera fortasse ardebit. Quod si Parochus deliquerit in hac custodia, et lampadem praelucentem non adhibuerit, gravi mulcta punietur. *Act. part. 5. et Clericat. de Eucharist. dec. 38. num. 15.* quam ad unius librae cerae albae reduxit S. C. *Ep. et Reg. 20. Jan, 1679. ex Ursaya T. 5. p. 2. d. 16. n. 91.*

73 74 Lumen vero lampadis Oleo Olivae nutriatur, nec alterius generis adhibendum est Oleum nisi quibus locis Ordinarius ob eam causam concesserit, quia nullum ejus generis haberi possit *Act. d. part. 4. Instruct. Euch.* Unde S. Hieronymus ad Fabiolam scribens de 24. Mansionibus, ait: *Cera, quae dulcia continet, non luceat in Tabernaculo, sed Oleum purissimum, quod Olivae profertur amaritudine.*

75 Cujus autem sumptibus parati debeat Oleum pro lampadibus, respondet Barbosa. *l. c.* et dicit, debere observari consuetudinem quando populus faciat hos sumptus; alias tenentur Parochi ad manutenendum istud Oleum, *Bellett. disq. Cler. part. 1. §. 13. num. 8. de Cler. de bitore, cum Ripa, Cons. 2. num. 4. et 5.* Non obstante tamen ista consuetudine in Ferrariensi Dioecesi illi derogatum fuit ab Eminentiss. et Reverendiss. D. Card. Rufo Episcopo in Synodo Dioec. habita anno 1726, et hoc onus de Oleo comparando ad usum lampadarum Ecclesiae pro Sanctissimae Eucharistiae Sacramento, non autem pro aliis Altaribus in quibus Tabernaculum non adsit, adjunctum fuit solis Parochis, quia, ista consuetudo non erat universalis in tota Dioecesi Ferrariensi, sed tantummodo aliquarum Ecclesiarum Parochialium: Ulterius ratio potissima est quod Parochus tenetur de redditibus Parochiae parare, et custodire in sua Ecclesia Sacramenta, *Barb. d. lib. 2.*

76 Quod insuper munda, nitida, et integra debeant esse omnia ad Eucharistiam inservientia, satis patet ex natura ipsius Sacramenti, quo nullum venerabilius est: unde puniendi sunt ii, qui hanc munditiam, nitorem et integritatem negligunt, *cap. Relinqui, de custod. Eucharist. tit. 44.*

§. VII. Sanctissimae Eucharistiae particulas frequenter renovabit. Hostiae vero, seu particulae consecrandae sint recentes, et ubi eas consecraverit, veteres primo distribuatur, vel sumat.

77 78 79 Quamvis ad corruptionem facilius sit panis

cum fermento, quam Azymus. nihilominus et iste suam corruptionem patitur, si longo tempore servetur, praecipue in arca clausus. Ideo praecipit Rubrica nostra, ut frequenter renoventur Particulae, ne in Pyxide, et Tabernaculo clausae corrumpantur, et sic Sacramentum amplius non adsit, quia corruptis Panis speciebus, cessat esse corpus Christi. Ista frequentia S. Carolus *Act. 4.* decrevit, ut octavo quoquo die ad summum esset intelligenda, praesertim quinta quaque feria, si commode fieri poterit, in qua Christus Dominus hoc magnum Sacramentum instituit.

80 Hostiae autem, et Particulae consecrandae quamvis recentes praescribantur a Rubrica, tamen non adeo recentes esse oportet, ut in earum fractione multa fragmenta suboriantur, ut evenire solet; set a viginti diebus erunt ad summum confectae, maxime tempore hiemali. Aestivo vero tempore quia calor faciliter materiam ad corruptionem inducit, decem dierum numerus sufficiet.

81 Synodus Ferrariensis Cardin. de Verme *p. 2. §. 4.* praecipit, ut Hostiae consecrandae referant Christum crucifixum solum, quem consecratae retinent in se ipsis, et repraesentant ipsum Sacrificium, nulla alia Sanctorum Imagine in illis impressa.

82 83 Consecrationi novarum particularum succedere debet consumptio veterum, et has debet Sacerdos prius ministrare, ubi recentes consecraverit, *Act. ibidem.* Quod si nimio tempore negligentia Sacerdotis Particulas consecratas servaverit, et putridae factae essent, regula tenenda est quam docet Fagundez *de Pr. Eccl. part. 1. lib. 3. cap. 21. numer. 15. pag. 229. col. 1.* Si species Sacramentales integrae, vel aliqua particula haberi possunt, reverenter servandae sunt, vel consumendae, quia sub eis manet Christus: ea vero quae tales species contigerunt, vel comburenda sunt, et in cineres redigenda, vel ter abluenda, et aqua ablutionis, vel Cineres in Piscinam (hoc est Sacrarium) conjicienda.

§. VIII. Fideles omnes ad Sacram Communionem admittendi sunt, exceptis iis, qui juxta ratione prohibentur. Arcendi autem sunt publice indigni, quales sunt excommunicati, interdicti, manifesteque infames; ut Meretrices, Concupinari, Foeneratores, Magi, Sortilegi, Blasphemi, et alii ejus generis publici peccatores, nisi de eorum poenitentia, et emendatione constet, et publico scandalo prius satisfecerint.

84 85 Omnes fideles habere jus ad suscipiendam Sacram Communionem, docet Fagundez *part. 3. lib. 3. cap. 10. num. 19.* et Praeceptum Ecclesiasticum obligare quoscumque, habetur *in c. Omnis utriusque,* et in Conc. Trid. *Sess. 13. can. 9.* qua vero aetate dicemus in §. XI. hujus Tituli. Nihilominus arcendos praecipit Rubrica nonnullos justis de causis, ut sequitur.

86 Et primo Excommunicati, Haeretici, Schismatici, et Interdicti non sunt communicandi neque publice, neque privatim, Clericat. *de Sacram. in gener. dec. 15. num. 4.* quia sunt in statu peccati mortalis, et Sacramenta non sunt tradenda canibus, Possevin. *dec. cap. 5. num. 12.*

87 Secundo manifeste infames infamia facti, quia sunt et ipsi in statu peccati mortalis. Limitandum tamen est, quod isti peccatores debent esse publici, et eorum peccatum adeo notum, et manifestum, quod nulla tergiversatione valeat celari, S. Thom. *3. part. quaest. 80. art. 6.* Possevin. *dict. cap. 5. num. 13.* Peccator publicus est qui notorie est talis: Notorium autem est duplex: Juris, et facti, hoc est per sententiam, vel per Confessionem factam in jure, Barbos. *d. part. 2. cap. 20. cap. 5. numero 13.* et notandum est, quod ut aliquis dicatur peccator publicus, debet esse, et permanere in statu peccati mortalis. Quaerit Possevin. *dict. num. 16.* per quot actus quis constituatur peccator publicus, et credit, non posse dari aliam regulam, nisi illam superallatam, nempe quando nulla tergiversatione id valeat celari.

89 Quomodo autem Curatus debeat quaerere suos peccatores publicos, certa regula dari non potest, sed illius Prudentiae relinquitur; nam inquisitio debet esse prudens, et diligens, atque potest fieri per se, et per interpositam personam, Posevin. *d. cap. 12. num. 2.*

90 Datur vero casus in quo isti publici peccatores possunt communionem refici, et est quando constet de eorum poenitentia et emendatione, et publico scandalo prius satisfecerint. Publice vero constare debet de hujusmodi Poenitentia, quia publice constat de eorum peccato, Possevin. *ibid.* cui adhaeret Coninck *d. l.*

Quando peccator, qui erat publicus, vere possit dici non amplius publicus, docet idem Possevin. ubi quaerit quanto tempore quis possit durare peccator publicus, et respondet, non posse in hoc dari certam regulam: hoc unum tantum clarum esse, cum hoc non communicandum nisi postquam Populus fuerit certificatus de illius emendatione, Navar. *cap. 21. numer. 55.* Possevin. *dict. cap. 12. num. 4.* In praxi vero haec regula tenenda est: Cum peccator iste ostenderit signa emendationis, vel Curatus de illius licentia propalaverit, eum esse

confessum, et poenitere, satis dicitur eum non esse amplius peccatorem publicum, Navar. *ibid.* et Possevin. *d. l.*

91 Difficultas est, quomodo, et quo Curati periculo repellendus sit Peccator publicus a Communionem. Possevin. *d. c. 5. num. 20.* constanter dicit, posse repelli dum adstat linteo Altaris, tunc Curatus eum privato colloquio blande admonet, ne ad Communionem accedat, quia cogetur, stante tali impedimento eum arcere, et hoc maxime expedit si Peccator sit Vir insignis, et potens, vel malus homo. Potest etiam Parochus ex Altari admonere generice, ne Usurarii, Concubinarij, et similes accedant, quia repellentur. Nunquam tamen est illis danda Hostia non consecrata pro consecrata, S. Th. 3. *part. quaest. 89. art. 6. ad 2.* Silv. *Euch. quaest. 5. not. 11.*

92 93 Si vero Peccator publicus peteret Communionem in loco, in quo esset occultus, tunc id prudentiae Ministri esset relinquendum, qui consideratis Personae, et loci circumstantiis, arbitrabitur, an tali peccatori sit danda, vel neganda Eucharistia, Barbos. *dict. p. 2. cap. 20. num. 21. in finem.* Henriquez vero in *Summ. lib. 2. cap. 67. de Euchar.* et Fagundez *part. 2. lib. 3. cap. 10. num. 7.* varias opiniones hinc inde probabiles afferunt. quae serio examinandae erunt a diligenti Parocho. Hoc unum tantummodo advertendum subdo, quod si publice petat communionem, illi deneganda non est sine injuria, quia tunc habet se ut Peccator occultus. Peccatori autem occulto publice petenti Eucharistia negari non potest, ut communis est Theologorum sententia, Fagund. *dic. num. 7.* Suarez *t. 3. part. 3. disput. 67. sect. 4.*

§. IX. Occultos vero Peccatores, si occulte petant, et non eos emendatos agnoverit, repellat: non autem si publice petant, et sine scandalo ipsos praeterire nequeat.

94 95 96 97 Doctissime in hac materia scripsit Cleric. *d. de Sacr. in gen. dec. 15.* cujus doctrina ita convincens est, ut ab ea recedere nefas esset. Peccator occultus est qui stat in peccato mortali, sed illius peccatum tantummodo illi notum est, a quo Sacram Communionem petit. Huic Parochus quamvis in confessione absolutionem non deberit, Communionem, quam, petit, negare non potest publice, ne videatur revelare peccata ipsius occulta, Barbos. *d. p. 2. c. 21. num. 22.* cum multis ab eo allegatis, tum quia nec Christus Dominus denegavit eam Judae proditori, ut habetur in *c. si Sacerdos, de Off. ordinarij:* tum quia si eam denegaret, sigillum confessionis frangeret, contra *c. omnes utriusque, etc.* Limitatio, nes vero

nonnullae afferuntur a Barbosa *d. l.* quas hic repetere piget. Ulterius S. Thom. 3. *q. 80. art. 6.* ait: si peccatores sint occulti, non esse illis negandam communionem, quia eo ipso quod quis est baptizatus, est admissus ad Dominicam Coenam, et non potest ei jus suum tolli, nisi pro aliqua causa manifesta. Ex Augustino ibi relato. Potest tamen Sacerdos, qui est conscius criminis, occulte monere peccatorem occultum, vel etiam in publico generaliter omnes, ne ad Sacramenta accedant, antequam poeniteant, Henriq. *l. 8. c. 52. n. 2.*

Si Sacerdos extra confessionem haberet notitiam indignitatis oculi peccatoris, et iste peccator publice Eucharistiam peteret: tunc ex communissima Theologorum sententia, non esset illi deneganda Eucharistia pluribus rationibus, sed praecipue quia de lege naturae tenetur homo non laedere famam proximi, cujus delictum occultum est; ut in *cap. placuit 6. qu. 2. et c. si Sacerdos, de Off. Ord. Laym. l. 5. t. 4. c. 6. n. 10.*

98 His non obstantibus contrariam sententiam tenet Card. Lauraea *disp. 10. art. ult. n. 60.* ubi erudite probat omnes rationes superallegatas pro non communicando peccatore publico, militare etiam contra peccatorem occultum: pro coronide cujus opinionis haec, a me non reticenda, seu praetermittenda, subdit sub num. 78. Scio quidem hanc meam sententiam Parochis praesertim asperam futuram, sed sciant me aliter sentire non posse tutam conscientiam. Vide Clericat. *de Sacr. in gen. dec. 15. n. 5. §. Hucusque Bellet. disq. Cler. p. 1. §. 10.*

§. X. Amentibus praeterea, seu phreneticis communicare non licet, licebit tamen si quando habeant lucida intervalla, et devotionem ostendant, dum in eo statu manent, si nullum indignitatis periculum adsit.

99 100 101 102 Haec Rubrica aliquantulum moderatur a Barbos. *d. p. c. 20, n. 19.* qui dicit ex sententia Henriq. *l. 8. c. 42. §. 3.* perpetuo, et absolute fatuos communicare non posse. Sed tantum semifatuos, et non continuo amentes tempore quo habent lucida intervalla. Zambranus vero *de cas. in art. mort. cap. 3. dub. 4. per. tot. num. 2.* resolvit quod si amentes, furiosi, aut qui carent actu sensu, et usu rationis, habuerint aliquando illum, danda est eis Eucharistia in periculo mortis, dum non constet fuisse notorios excommunicatos, vel notorios peccatores, qui non dederint signa poenitentiae. Item dummodo non constet clare, eos in complacentia peccati mortalis usum rationis amisisse, et denique dummodo possint eam recipere sine periculo irreverentiae, id est vomitionis, vel ex-

putionis, aut alicujus similis specialis indignitatis: et *num.* 7. subdit, non esse necesse, ut praedicti amentes tempore usus rationis petierint expresse Eucharistiam, sed sat esse in sanitate debitis temporibus eam sumpsisse, vel vixisse non immemores, suae spiritualis salutis; et *num.* 6. tenet energumenis, seu daemonicis, non esse negandam Eucharistiam, si alias habeant sufficientem dispositionem. Vide alia ad hanc materiam utilia apud Barbos. *dict. part. 2. cap. 20. num.* 43.

§. XI. Iis etiam, qui propter aetatis imbecillitatem, nondum hujus Sacramenti cognitionem, et gustum habent, administrari non debet.

103 104 Quamvis praeceptum sumendae Communionis obliget omnes fideles utriusque sexus postquam ad annos discretionis pervenerint, attamen certa aetas definiri non potest, in qua Pueri, et Puellae ad hoc Sacramentum idonei sint. Patrum, et Confessariorum prudentiae id relinquitur: alii ad nonum, alii ad decimum annum perducuntur: alii sunt praecoces, alii segniores, Barbos., *dict. num.* 18. S. Carolus *Act. p.* 4. ait, grandiusculis, qui tunc primam Communionem sumere voluerint, non praebendam esse, nisi aliquot ante diebus Parochus eos examinaverit, atque instruxerit de vi, et ratione tanti Sacramenti.

ORDO

MINISTRANDI SACRAM COMMUNIONEM.

TITULUS VICESIMUS QUARTUS.

SUMMARIUM.

- 1 Sacerdotibus competit ordinaria potestas ministrandi Eucharistiam.
- 2 Cur Eucharistia vocatur Sanctissima?
- 3 Eucharistia quid significet?
- 4 Hostia est Panis consecratus.
- 5 Quare vocetur Hostia?
- 6 Azymus Panis idem ac Hostia.
- 7 Hostia semper formae rotundae.
- 8 Particulae quandoque vocantur Hostiae.
- 9 Panis integer consecratur et dividebatur in frusta.
- 10 Christus consecravit integrum Panem.
- 11 Bucella intelligitur pro Particula Panis.
- 12 Numerus Particularum consecrandarum.
- 13 Vasa praeparanda pro purificatione.
- 14 Purificatio non est praebenda Communicatis in Calice.
- 15 Purificatio distribuitur per ministros.
- 16 Linteum album extendi debet ad scabellum.
- 17 Sudariolum Altaris pro tinteolo quandoque adhibetur.
- 18 Planeta, et ejus pars quandoque adhibetur.
- 19 Loto manuum necessaria ante administrationem Eucharistiae.
- 20 Suscipientes Eucharistiam lavabant sibi manus.
- 21 Clerici lavent sibi manus antequam induant Cottam.
- 22 Cotta, et Stola est propius habitus Ministri Sacramentorum.
- 23 Color albus color Eucharistiae.
- 24 Altaria minora in feria V. Major. Hebdomad. parentur violaceo colore.
- 25 Communio infra Missam fieri debet cum habitu coloris convenienti.
- 26 Color albus quid significet?
- 27 Processio Corporis Christi in colore albo facienda.
- 28 Clerici describendi sunt Ministerio alicujus Ecclesiae.
- 29 Clerici inservire debent veste candida.
- 30 Laici adhibere non possunt superpellicem ubi sit penuria Clericorum.
- 31 Manus junctae quid sibi velint?
- 22 Sacramento in Tabernaculo sufficit lumen lampadis.
- 33 Quando patet Eucharistia, alia lumina accendenda.
- 34 In Communionem saltem duo Cerei accendendi.
- 35 Genuflexio est adoratio.